



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Distinctio Decima. De Satisfactione, ut tertia Parte Sacramenti
Pœnitentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

DISTINCTIO X.

De Satisfactione, ut tertia Parte Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

De Satisfactione Sacramentali, ejusque acceptance, & implementatione.

1. **A**Dvertendum, quod Satisfactio dupliciter accipiatur. I. Satisfactio generaliter, quo modo importat actionem, qua quis facit, quantum debet: sic debitor solvens creditori, dicitur illi satisfacere. II. Specialiter, proprie, ac strictè: quo modo ipsa est actio afflictiva corporis vel animæ, per quam DEO voluntariè satisfacimus pro pœnis temporalibus, quæ remanent ex peccatis virtute Pœnitentiæ à DEO quoad culpam jam remissis.

2. Certum siquidem est, quod quidem in justificatione peccatoris aliquando remittatur peccatum tam quoad culpam, quam quoad totam pœnam, adeò, ut nulla remaneat pœna temporalis pro eo luenda; prout contingit in Baptismo, & Martyrio, & quandoque in actu perfectæ contritionis, vel amoris DEI super omnia. Id tamen non semper fit, quinimò ordinariè loquendo, dimissâ per Pœnitentiam culpâ peccati mortalis, remanet aliqua pœna temporalis, in quam pœna æterna peccato mortali correspondens commutatur, in hoc vel futuro sæculo luenda; prout liquet tum ex Concilio Trid. Sess. 6, cap. 14. & Sess. 14, cap. 8. tum ex pluribus S. Scripturæ locis, ac fusiùs contra Hæreticos ostendunt Controversiæ.

3. CONCL. I. Satisfactio, ut est tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ, est opus bonum pœnale in Sacramento Pœnitentiæ à Confessario impositum, ad pœnæ temporalis peccatis confessis debitæ compensationem, seu solutionem. Ita Marchantius tom. 1. Tribunalis, tract. 4. cit. 7. estque in re communis. Dicitur, in Sacramento Pœnitentiæ à Confessario impositum; ad excludenda alia opera satisfactoria, & pœnalitates, quæ vel propriâ voluntate assumuntur, vel à DEO nobis immittuntur: hæc enim de-

Satisfactio dupliciter sumitur.

Dimissâ culpâ non semper remittitur tota pœna peccatis debita.

Satisfactio, ut est pars Sacramenti Pœnitentiæ, quid?

deserviunt quidem ad satisfaciendum pro peccatis nostris, non tamen sunt pars Sacramenti Poenitentiae, neque satisfactio Sacramentalis; sed talis est ea solum, quae à Confessario imponitur.

4. CONCL. II. Sacerdos regulariter loquendo tenetur aliter quam Satisfactionem poenitenti injungere. Ita communis Doctorum, & patet ex Concilio Trid. *Sess. 14. cap. 8. ibi: Debent ergo Sacerdotes Domini pro qualitate criminum, & poenitentium facultate, salutare, & convenientes satisfactiones injungere.* Hinc idem Concilium cit. *Sess. 14. cap. 3. & can. 4.* inter partes Sacramenti Poenitentiae etiam numerat Satisfactionem. Nec obstat, quod Satisfactio communiter censeatur esse pars integralis hujus Sacramenti. Resp. enim, hoc parum urgere; quia Sacerdos tenetur etiam integritatem ipsius curare.

5. Intellige, *regulariter loquendo*, nam incapaci, v. g. moribundo extra usum rationis constituto, nulla Satisfactio imponi debet (imò nec potest) non obstante, quòd dato signo petita Confessionis absolvi debeat. Ex quo liquet, Satisfactionem non esse partem essentialem Sacramenti Poenitentiae, sed integram solum: quamvis Mastrius 4. *disp. 5. num. 569.* cum alijs, hoc intelligendum censeat de Satisfactione actu exhibita, id est, de actuali executione ipsius: nam Satisfactio Sacramentalis in voto, siue propositum saltem implicitum satisfaciendi, potest dici pars essentialis ipsius, in quantum hoc sublato (id est, si poenitens tale propositum saltem implicitum non haberet, sed contrariam voluntatem) Sacramentum non conficeretur.

6. CONCL. III. Satisfactio Sacramentalis habet virtutem specialem ex opere operato remittendi aliquam partem poenae temporalis peccatis debitae, quam non haberet, si illud ipsum opus esset voluntarie assumptum, aut aliunde impositum. Ita Doctores passim. Ratio est: quia Satisfactio à Sacerdote imposita, & à poenitente adimpleta, est pars Sacramenti Poenitentiae; ergo habet aliquem effectum ex opere operato (quia sicut totum Sacramentum ita & quaelibet pars ejus talem habere debet) atque talis effectus alius non est, nisi remissio poenae temporalis peccatis confessis debitae, utpote ad quam principaliter ordinatur; ergo.

7. CONCL. IV. Poenitentia Sacramentalis in statu peccati mortalis peracta, sufficit ad integritatem Sacramenti Poenitentiae, atque ad implendum praecipuum Confessarii de persolvenda poe.

Confessarius tenetur poenitenti aliter quam satisfactionem injungere.

Regulariter loquendo: & an hæc sit pars essentialis?

Satisfactio Sacramentalis habet effectum remittendi partem poenae ex opere operato.

Est in peccato mortali peracta suff.

poenitentia. Ita omnes Doctores: idque patet tum ex communi sensu Fidelium, qui non solent reperere poenitentias forsitan in statu peccati mortalis peractas, neque ad eas repetendas confueverunt à Confessarijs obligari. Tum ex eo: quia præceptum jejunij, & alia ejusmodi satis implentur, licet opera præscripta peragantur in statu peccati mortalis.

8. Adde cum Doctore Subtili in 4. dist. 15. quest. 1. §. de quarto quem sequuntur Scotistæ communiter, & multi alij, ut Navarrus, Vasquez, Medina, Diana, &c. quamvis melius sit, poenitentiam inunctam in Charitate persolvere (quia talis non tantum solvit poenam, sed etiam meretur augmentum gratiæ, & gloriæ caelestis) adhuc tamen meretur augmentum gratiæ, & gloriæ mentalis in statu peccati mortalis peracta habeat effectum remissionis poenæ temporalis peccatis confessis debitæ, ac sibi ex opere operato correspondentem; eò quòd hujusmodi effectus habeatur ex meritis Christi, seu vi Sacramenti Poenitentiae, cujus Satisfactio illa est pars.

9. Nec obstat, quòd homo non sit in statu gratiæ. Tum quia, licet is defacto non sit in statu gratiæ, in illo tamen fuit tempore recepti Sacramenti Poenitentiae: tum quia, licet ad merendum requiratur status gratiæ, ex nullo tamen capite ostenditur, eum etiam requiri ad satisfaciendum virtute Sacramenti prius dignè recepti. Verùm hæc solummodò probabiliter dicuntur, quia multi alij oppositum tenent: imò non pauci hujus sententiae Authores asserunt. Satisfactionem in malo statu peractam deletere poenam non pro tunc, sed postea primùm ablato obice, seu recuperato statu gratiæ. Hinc quilibet studeat persolvere poenitentiam Sacramentalem in statu gratiæ: sic enim & merebitur, & certò solvet poenam.

10. Concl. V. Quamvis poenitens ex aliqua causa rationabili possit poenitentiam à Confessario sibi impositam non acceptare, petendo, ut alia sibi imponatur; tamen omnem poenitentiam ab ipso sibi impositam respuere non potest, si ab eodem absolvi velit. Ita communis. Ratio primæ partis est: quia poenitentiae à Confessario injungendæ debent esse salutares, & convenientes statui seu facultati poenitentium, juxta Concilium Tridentin. Sess. 14. cap. 8. ergo ob causam rationabilem, utputa quia ipsam commodè peragere nequit, licetè potest poenitens hanc vel illam in particulati poenitentiam respuere, veluti

Rrrrrr

tibi

ficit ad integritatem Sacramenti.

An tunc habeat effectum ex opere operato sibi correspondentem?

Solvitur instantia.

An possit poenitens respuere poenitentiam sibi impositam?

fibi non convenientem, ac rogare Confessarium, ut aliam mi-
torem, sibi que convenientiorem imponat.

Quid, si Con-
fessarius
nolit eam
moderari?

11. Quod si Confessarius sit admodum imprudens, ac indiscretus
(prudens enim hoc non faciet) ut non obstante rationabili pe-
nitentia peccantis nolit illam poenitentiam moderari, ac mi-
torem imponere; poterit poenitens licite à Confessione desiste-
re, ac dicere Confessario, se alium minus severum, magisque
discretum quaesitum: Nam poenitens non tenetur sub pecca-
to mortali quoad hoc ei obedire, nisi quatenus cupit ab ipso ab-
solutionem recipere.

Quid de le-
vi poeni-
tentia?

12. Altera pars ex eo probatur: quia Satisfactio est pars
integralis Sacramenti Poenitentiae; ergo tenetur poenitens, ex-
tra casum impotentiae, aliquam saltem levem poenitentiam ac-
ceptare, & adimplere. Et certè, quis credat, talem esse ritè di-
spositum, si extra casum impotentiae neque unicum Ave Maria,
aut prolationem Sanctissimi Nominis JESU, vel percussione[m]
pectoris, vellet pro poenitentia Sacramentali acceptare? Ne-
que contrarium docet Scotus 4. dist. 15. q. 1. & dist. 19. q. 3. Quia
is partim loquitur de poenitentia peccatis condigna: partim de
tali, occasione cujus poenitens traheretur in desperationem
(tunc enim excusabitur impotentia) prout ex ejus verbis desumi-
tur, ac notant Herincx disp. 4. de Satisfact. num. 15. Sannig. dist. 12.
q. 2. n. 10. & 11. ac alij.

Poenitens
tenetur im-
plere poeni-
tentiam sibi
injunctam.

13. CONCL. VI. Tenetur poenitens sub peccato adim-
plere poenitentiam sibi à Confessario impositam. Patet hoc ex
cap. Omnis utriusque sexus. de Poenit. & remiss. ubi cuilibet confiten-
ti praecipitur, quod injunctam sibi poenitentiam proprijs viribus studeat
adimplere. Accedit ratio: quia tenetur poenitens recipere Sa-
cramentum Poenitentiae, non solum essentialiter, sed etiam in-
tegraliter totum.

Quid, si poe-
nitentia sit
solum le-
vis?

14. Caeterum notat hic Suarez disp. 38. sect. 7. num. 4. & 5.
cum alijs, quod, quamvis obligatio adimplendi poenitentiam sit
ex genere suo gravis, ac proinde ille peccet mortaliter, qui non
adimplet gravem poenitentiam, vel notabilem ejus partem om-
mittit: tamen, si poenitentia sit solummodo levis, v. g. dicere
quinque Pater & Ave, aut modica tantum ejus pars omittatur,
non committatur peccatum mortale, sed solum veniale: quia et-
iam hic levitas materiae excusat à mortali.


Tenetur
poenitens

15. CONCL. VII. Poenitens tenetur per se ipsum implere
poenitentiam Sacramentalem, & non potest eam implere per
alium,

alium, quem sibi propriâ auctoritate substituit. Ita Theologi per se ipsum
communiter. Ratio est: quia juxta Concilium Trid. soli actus implete
pœnitentis sunt quasi materia Sacramenti Pœnitentiæ; ergo pœnitenti-
debet satisfactio fieri per ipsummet pœnitentem. Concordat am
textus cit. cap. Omnis utriusque sexus. de Pœnit. & remiss. Et hinc me-
rito Alexander VII. sequentem, ordine 15. Propositionem dam-
navit: Pœnitens propriâ auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius
pœnitentiam adimpleat.

16. CONCL. VIII. Quamvis pœnitens non possit pœni- An hæc
tentiam Sacramentalem sibi impositam propriâ auctoritate possit ipsi
commutare in aliud opus, etiam evidenter melius: potest ta- commutari
men pœnitentia ab uno Confessario imposita, ab alio ex rationa- à Confessa-
bili causa commutari in aliam pœnitentiam, non solum æqua- rio ?
lem, aut meliorem, sed & in mitiorem: Ita Doctores commu-
niter, ac præsertim Herincx cit. disp. 4. quæst. 4. num. 31. Sannig.
loc. cit. quæst. 3. hoc extendentes ad quemlibet Confessarium, e-
tiam altero inferiore (dummodò pœnitentia non fuerit à Su-
periore imposita pro Casu reservato) quia idem est Tribunal, at-
que Judicium ejusdem potestatis in utroque.

17. Utrum autem ad hoc, ut posterior Confessarius possit Et an tunc
commutare pœnitentiam prius ab alio impositam, necesse sit, necesse sit,
quòd ipsi rursus explicentur à pœnitente peccata illa, pro qui- repetere
bus prior pœnitentia fuit imposita, variant Doctores. Et qui- priora pec-
dem probabilior, ac securior est opinio Suarezij, & plurium alio- cata ?
rum Doctorum, asserentium, id fieri debere: oppositum tamen,
sive hoc non esse necesse, est etiam probabile, ac docetur à Na-
varro cap. 26. Manual. num. 22. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 15.
num. 16. Toletò, Diana, & pluribus alijs. Cæterùm in praxi
optimum erit Concilium, interrogare pœnitentem vel de pec-
catis gravioribus, propter quæ altera pœnitentia prius ipsi fuit
imposita; vel saltem, an prius habuerit similia peccata ijs. de
quibus nunc se accusavit: sic enim saltem aliquialiter cognosce-
tur status pœnitentis, ac proinde poterit alia con-
venientior pœnitentia eidem
imponi.



R r r r r 2

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quænam opera pro Pœnitentia Sacramentali injungenda sint ?

Doctrina
Concilij
Tridentini
circa in-
junctionem
pœnitentiæ
Sacramen-
talis.

18. **P**Ræmittenda cum primis est saluberrima Concilij Tridentini doctrina, quam *Sess. 14. c. 8.* his verbis proposuit: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & pœnitentiarum facultate, salutaris, & convenientes pœnitentias injungere; ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, aliorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut Satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad prætorum peccatorum vindictam & castigationem.* Hactenus Concilium, cujus verba, utpotè veram Catholicam doctrinam continentia, sunt optimè notanda: quibus suppositis, sic

Generatim,
quæ opera
possint in-
jungi?
Omnia bo-
na opera re-
ducuntur
ad Oratio-
nem.

19. **CONCL. I.** Opera, quæ pro Satisfactione Sacramentali injungenda sunt, debent esse honesta, & moraliter bona; qualia generatim sunt tria, scilicet Oratio, Jejunium, & Eleemosyna. Ita unanimis Theologorum. Omnia enim reliqua bona opera, quæ ex fide vivâ, atque per Charitatem operante proficiuntur, ad hæc tria, veluti tres Justitiæ Christianæ fontes, facile reducuntur; juxta illud Raphaëlis Archangeli, *Tobiz 12.* *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna, magis quam thesaurus abscondere, & alibi.* Id ipsum patet inductione: Siquidem sub Oratione comprehenduntur omnes actus religiosi, qui ad DEUM referuntur: ut actus Theologici, Fidei, Spei, & Charitatis; item actus Laudis, Adorationis, Gratiarum actionis, Glorificationis DEI; insuper genuflexiones, Ecclesiarum visitationes, ac hujusmodi. Sub Jejunio comprehenduntur omnes castigationes corporales, cilicia disciplinæ, vigiliæ, humicubationes, mortificationes, &c. Tandem sub Eleemosyna continentur omnia opera Misericordiæ tam corporalia, quam spiritualia, & alia opera Charitatis erga Proximum.

Jejunium, &

Eleemosy-
nam.

Confessarius
pœnitentiæ
designatu-
rus, ad quæ
debeat at-
tendere ?

20. **CONCL. II.** Confessarius pœnitentiæ designaturus ad duo attendere debet, nempe ad magnitudinem qualitatemque peccatorum, & ad pœnitentis dispositionem. Ita Concilium Trident. *n. 18.* relatum, & communiter Doctores, ac præfer-

fertim Scotus 4. dist. 15. quaest. 1. Ratio est : quia, quantum com-
modè fieri potest, patiturque pœnitentis dispositio, debet esse
correspondentia aliqua pœnæ ad culpam; juxta illud Sapientiae
11. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Et Deut. 25. *Pro men-
sura peccati, erit & plagarum modus.*

21. Quia igitur Peccatum in genere distinguitur in tria ^{Peccatis}
membra, scilicet in Peccatum seu Concupiscentiam carnis, Con- ^{quæ gene-}
cupiscentiam oculorum, & Superbiam vitæ, 1. Joan. cap. 2. Hinc ^{ratim cor-}
observat Doctor noster *cit. quaest. 1.* quod singulis peccatis sic in ^{respondent}
genere distinctis, respondeant de congruo propriae Satisfa- ^{pœnitentiæ?}
ctiones in genere: scilicet Peccato carnis Jejunium, comprehen-
dendo sub hoc quascunque carnis macerationes: Peccato su-
perbiæ, & cæteris spiritualibus, Oratio, quæ & humiliat spiri-
tum DEO, & roborat contra peccata: Peccatis autem circa
temporalia, nimirum avaritiæ, & ejusmodi, magis appropriatè
correspondet Eleemosyna. Id ipsum habet Rituale Romanum,
tit. de Sacramento Pœnitentiæ, ibi: Quare curet (Minister) quantum
fieri potest, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat: veluti avaris elee-
mosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilita-
tis officia, desidiis devotionis studia, &c.

22. Dicitur noranter, quantum fieri potest. Siquidem secus ^{Rigor ille in}
dicendum, quando speciales circumstantiæ hunc rigorem serva- ^{casibus par-}
re non permittunt. Hinc Doctor Subtilis *loc. cit.* rectè subjun- ^{ticularibus}
git, quod, quamvis hæc sit correspondentia in generali, & de ^{nequit sem-}
congruo; ea tamen in casibus particularibus nec necessariò, nec ^{per obser-}
congruenter debeat semper observari, eò quod in casibus specia- ^{vari.}
libus satis frequenter non conveniat facultati pœnitentis Pœni-
tentia illa, quæ correspondet peccatis suis in generali. Unde o-
ptimè monet, requiri circa hoc discretionem Sacerdotis, qui, ut
loquitur Tridentinum, *pro qualitate criminum, & pœnitentium faul-*
tate, salutaris, & convenientes pœnitentias injungat.

23. Declaratur eadem doctrina exemplis ibidem à Scoto ^{Declaratur}
relatis, & inter Theologos communiter receptis. Sic quippe hoc exem- ^{plis.}
pauperi, qui eleemosynam dare nequit, non sunt injungendæ e-
leemosynæ, etiamsi peccata commissa, v. g. furta, secundum
congruentiam generalem exigerent eleemosynam; cum sæpius
tales non amplius habeant, unde injustè ablatum restituant. I-
tem homini, qui ob continuum laborem jejunare nequit, non
sunt imponenda jejunia, quamvis cæteroquin talia suis peccatis
correspondent; sed potius inducendus est, ut unà cum alia pœ-
ni-

nitentia sibi convenienti suam continuum laborem subeat, Deoque offerat in remissionem suorum peccatorum. Similiter dives, qui lapsus fuit in peccatum carnis, si est adeo delicatus, quod non velit jejunare, nec aliam macerationem notabilem subire; vel præsumitur, quod si sibi imponeretur, citò abjiceret, & sic peccaret novo peccato; inducendus est ad orationem, & elemosynam, illudque ipsi imponendum, quod libentius recipit, & quod creditur perseverantiùs adimplere.

In determi-
nanda pœ-
nitentia vi-
tandus est
defectus,

24. Interim fatendum est, quoad praxin non modicam esse difficultatem in quantitate pœnitentiæ taxanda, magnaque in ea determinanda opus esse discretionem. Siquidem ex una parte vitandus est defectus, ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, Confessarij aliorum peccatorum participes efficiantur, prout monet Concilium Trident. cit. cap. 8. Dum tales non tam inducunt pœnitentes in odium criminum, quàm in vilipensionem eorundem, ob levitatem pœnitentiæ injunctæ; nam, ut ait S. Ambrosius Serm. 8. in Psalm. 118. *Facilitas venia, incentivum tribuit delinquendi.* Ex altera verò parte multò magis cavendus est excessus, ne vel Fideles gravioribus injunctis pœnitentijs scandalizentur, atque ab hoc saluberrimo animarum suarum remedio deterreantur, vel novi eis laquei iniiciantur, per neglectum ejusmodi indiscretarum pœnitentiarum denuò peccandi. Pulchrè, quantum ad propositum, loquitur S. Chrysostomus, relatus can. *Alligant. 26. quest. 7.* & tandem subjungit: *Et si enim erremus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est, propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? Ubi enim Paterfamilias largus est, Dispensator non debet esse tenax. Si DEUS benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? Vis apparere sanctus: circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.*

Et multò
magis ex-
cessus; cur?

An praxi cir-
ca impo-
nendam
pœnitentiã,
quid obser-
vandum?

25. Verùm, quia Sacramentum Pœnitentiæ à Christo per se, ac principaliter institutum fuit in bonum pœnitentis, atque ut animæ eius vulnera curentur, sequitur in primis, quod Sacerdos nunquam debeat talem pœnitentiam imponere, quam omninò credit pœnitentem ex imbecillitate, vel aliâ causâ, non impleturum: nam ea hoc ipso non esset pœnitentia salutaris, qualem imponendam censet Concilium Tridentinum. Hinc, ut loquitur Johannes Gerson part. 2. Operum, *Tutius est, cum parva pœnitentia, quæ spontè suscipitur, & veri similiter adimpletur, ducere confessos ad Purgatorium, quàm cum magna non implenda precipitare in Infernum.* Ne tamen con-

confitens ob pœnitentiæ levitatem peccata sua minùs æstimet, suaviter monendus erit à Confessario, pœnitentiam impositam non esse commensuratam suis delictis; quare ipse spontè exercere studeat alia opera bona in satisfactionem suorum peccatorum.

26. Deinde notandum ex Rituali Romano, pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, non esse injungendam pœnitentiam publicam, utpote infamativam. Item nec talem, unde domestici possint devenire in cognitionem gravioris criminis: uti sunt jejunia extraordinaria, disciplinæ, ac huiusmodi, nisi habeatur occasio similes pœnitentias secretò peragendi, vel saltem sic, ut alij non advertant, ipsas ratione Confessionis injunctas fuisse; nam urget eadem ratio. Rursum (c) non expedit pauperibus (c) *Vi jam dictum* pro pœnitentia imponere elemosynas, neque operarijs vel debilibus jejunia, aut mulieribus longas peregrinationes, nec valde occupatis multas preces. *num. 23.* Insuper tempore Jubilæi, vel alterius Indulgentiæ plenariæ, levior pœnitentia injungi potest; cum illius defectum suppleat lucratio Indulgentiæ.

27. Quòd si verò peccata pœnitentis graviores exposcant pœnitentiam, is primùm leniter disponendus erit ad agnoscendam suorum criminum gravitatem, & quantam pro eis pœnitentiam promeritus fuisset; & postmodum eidem proponi poterunt varix pœnitentiæ, ipsique relinqui delectus, cum hac admonitione, ut ultrò, & sponte suâ, quædam alia pia opera adjungat. Etsi enim regulariter loquendo debeat Sacerdos imponere pœnitentiam sub præcepto, nihil tamen obstat, quin etiam possit quædam opera satisfactoria consulere; sicque aliquando, spectatâ fragili conditione pœnitentis, quandam pœnitentiæ partem sub consilio injungere. Quinimò Suarez *disput. 38. sect. 6. num. 6.* citans D. Thomam, Navarrus *cap. 26. Manual. n. 23.* Bonacina *disp. 5. de Pœnitent. quest. 5. sect. 3. punct. 2. n. 13.* alique plures, probabile censent (quamvis contradicant Vasquez, & Lugo *disp. 25. de Pœnitent. num. 57.*) per illa verba Sacerdotis, post absolutionem adjungi solita, *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum &c.* posse ejusmodi opera in genere injungi pro pœnitentia, & sic elevari ad Satisfactionem pro peccatis tunc confessis ex opere operato exhibendam. Tandem juvabit injungere frequentiore Confessionem, præsertim recidivis; atque etiam, ut monet Catechismus Romanus

nus n. 32. citandus, ut certis aliquot & definitis diebus orationi vacent, prout Spiritus & prudentia suggesserit.

Possunt pro
pœnitentia
inungi o-
pera aliunde
præcepta.

28. CONCL. III. Possunt pro Pœnitentia Sacramentali inungi non solum opera supererogatoria, seu aliunde indebita, sed etiam opera alioquin præcepta. Ita communis, paucis exceptis. Ratio est: quia hujusmodi opera, non obstante priori præcepto, adhuc sunt libera, & meritoria; & consequenter satisfactoria.

Sed com-
muniter in-
jungenda
sunt opera
non præ-
cepta.
Corollarium.

29. Notant tamen Doctores, communiter loquendo, accessante iustâ causâ, non esse imponenda opera aliunde jam præcepta, sed opera supererogatoria. Unde inferunt, si Confessorius aliud non exprimat, aut ex verbis ipsius, vel alijs circumstantijs oppositum non appareat, censeri, eum velle inungere pro pœnitentia opus aliunde non præceptum: v. g. si inungat, ut die Festo Missam audiat, censetur velle inungere Missam aliam præter eam, quam alioquin pœnitens tenetur die Festo audire. Quòd si verò dicat pœnitenti, ut duas Missas audiat die Festo, censetur ex hoc loquendi modo comprehendere etiam Missam aliam jam præceptam: & sic de alijs similibus.

Potest in-
ungi oratio
Pro Defun-
ctis.

30. CONCL. IV. Potest pro Pœnitentia Sacramentali inungi oratio applicanda pro Fidelibus defunctis. Ita Lugo *disp. 25. de Pœnitent. sect. 4. num. 62.* cum communiore, quamvis nonnulli oppositum teneant. Ratio est: quia oratio pro Defunctis est acceptissima DEO elemosyna, utpote per quam subvenitur animabus Defunctorum summè indigentibus; ergo cum elemosyna, sub qua continentur quælibet opera Misericordiæ tam corporalia, quàm spiritualia, pro pœnitentia possit imponi, cur non etiam oratio pro Defunctis?

Solvitur
instantia,

31. Dices. Oratio, vel aliud opus bonum pro Defunctis applicatum, non prodest pœnitenti ad satisfaciendum pro se ipso; ergo non videtur posse imponi pro Satisfactione Sacramentali. Resp. negando antecedens: licet enim satisfactio operis præcepti applicetur Defunctis, adhuc tamen satisfactio correspondens illi bonæ voluntati, & actui Charitatis Proximi, atque Misericordiæ spiritualis, quo pœnitens ob præceptum Confessorii vult orare, & orat pro Defunctis, remanet ipsi pœnitenti; qui proinde non destituitur omni fructu Satisfactionis, proveniente ex tali pœnitentia.

Modus Sa-
tisfactionis
Sacramen-

32. Confirmatur hæc sententia autoritate Catechismi Romani, jussu B. Pij Papæ V. editi, in quo, agendo de Satisfac-

tionis.

ctione, circa finem, præsens Conclusio approbatur, simulque generalis modus Satisfactionis Sacramentalis imponendæ, affligatur sequentibus verbis plurimum ponderandis. Igitur univ-
erse Satisfactionis modum, culpa ratio temperabit. Sed ex omni Satisfac-
tionum genere maximè convenit pœnitentibus præcipere, ut certis aliquot
& definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, & præsertim pro ijs,
qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces DEO faciant. Hortari ve-
rò etiam eos oportet, ut sæpe eadem Satisfactionis opera à Sacerdote indicta,
ultrò suscipiant, ac repetant.

talis, jux-
ta Cate-
chismum
Romanum.

DISTINCTIO XI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

QUÆSTIO I.

Quæ sit Materia, & Forma Sacramenti Extremæ Unctionis ?

1. **E**xtrema Unctio est ultimum ex illis Sacramentis, quæ vi-
tam spiritualem cujuslibet Fidelis quoad se promovent :
simulque non modò Pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ,
quæ perpetua Pœnitentiæ esse debet, consummativum existimatum est à Patri-
bus, uti loquitur Concilium Tridentinum Sess. 14. in Doctrina de
Extrema Unctione. Et quia nonnisi in mortis articulo recipi po-
test, hinc & Sacramentum exuentium nuncupatur, juxta citatum
Concilium cap. 3. De quo loquendo, sit

Extrema
Unctio est
Pœnitentiæ
consumma-
tivum.

Et Sacra-
mentum ex-
uentium.
Est verum
novæ Legis
Sacramen-
tum.

A Christo
institutum.

2. **CONCL. I.** De Fide certum est, Extremam Unctionem
esse verum, & propriè dictum Sacramentum novæ Legis, à Chri-
sto Domino institutum. Ita præter perpetuum sensum Ecclesiæ
Catholicæ, docet Concilium Florentinum in Decreto Unio-
nis, tum Tridentinum Sess. 14. De Extrema Unctione, cap. 1. ubi sic
loquitur : Instituta est autem sacra hæc Unctio infirmorum, tanquam ve-
rè & propriè Sacramentum novi Testamenti, a Christo Domino nostro. apud
Marcum quidem (cap. 6.) insinuatam, per Jacobum autem Apostolum,
ac Domini fratrem, Fidelibus commendatam, ac promulgatam. (Jaco-
bi 5.) Infirmatur, inquit, quis in vobis ? inducat Presbyteros Ecclesiæ,
& orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : & oratio fidei

§ § § § §

salva.